



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Petiti Philosophi & Doctoris Medici, Miscellaneorum Observationum Libri quatuor**

**Petit, Pierre**

**Trajecti ad Rhenum, 1682**

Cap. V. Emendatus Eunapii locus in Aedesio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13245**

## CAPUT V.

*Emendatus Eunapii locus in Ædesio.*

**A**uctor ille in vita Ædesii data occasione quædam attingit sane stupenda de Sosipatra, fæmina supra viros disciplinis omnibus excellenti; quemadmodum scilicet patris permisso primis pueritiæ annis educata fuerit, atque instituta in agro, duorum ignotorum hominum cura, senum mendicorum habitu, quos dæmones quosdam fuisse postea certis conjecturis compertum sit. Nam quinque annorum spatio tantum eruditione profecisse visa est puella, ut stupori esset omnibus. Ingressus eorum & prima notitia ex agri, cujus sibi culturam aliquandiu permitti a villico impetraverant, inusitato proventu, ut miraculo percussus Sosipatræ pater fundi dominus senes colonos videre vellet, invitaret, & mensæ adhibitos prolixè acciperet. Qui Sosipatræ tum primum conspectæ forma capti, patri ejus de opera, quam sibi in agro excolendo præbuerant, ac beneficio accepto, gratias agenti hunc in modum respondent: Ἀλλ' ἡμεῖς, τὰ μὲν ἄλλα κρύφια καὶ ἀπόρητα πρὸς ἑαυτοὺς ἔχομεν, καὶ ταυτησὶ τῷ ἐπαινουμένῃς εὐνοίας ἔστι γέλωσ καὶ παίγνιον τι μετ' ὀλιγορίας τῶν παρ' ἡμῖν πλεονεκτημάτων.

Ita in excusis codicibus leguntur hæc verba, si quid intelligo, mendose. Quod & versio *Hadriani Junii* indicat, qui ex iis contrariam auctoris menti plane sententiam expressit, quod mendam iis impressam non animadverteret. Ita enim vertit: *Cetera, inquit, occulta & secreta apud nos continemus, atque humanitatem istam laudatam, quasi pro ridiculo habemus, & beneficia in nos cumulatam pensi non facimus: at si mensæ istius & munerum vicem a nobis tibi reponi, non pecunia-*

*cuniarum* &c. Ceu hospites humanitatem patris familias & lautitias aspernentur: iisque verbis ipsimet significant: quo nihil superbius fieri potuisset? talem etenim sensum objicit animo hæc interpretatio. Cum contra ipsi operam suam Domino præbitam in culturæ agri, totumque istud portentosæ ubertatis beneficium extenuent, ac nihili æstiment, præ iis quæ eidem facere velint, quibusque mensæ hospitalis humanitatem remuneraturi sint. Ita igitur; hic locus vertendus fuit: Cetera quæ sunt occulta, nec commemoranda, (supple: beneficia in te a nobis collata) apud nos quidem continemus, hoc est: declarare super sedemus: atque istam benevolentiam laudatam, (hoc est: quam tu tantopere commendas, nostram videlicet) pro ridiculo & ludo habemus, & negligentia prope loco, præ iis, quæ penes nos sunt opibus & emolumentis: hoc est: pro ea quam habemus facultate homines beandi. Sic autem emendo hunc locum: Καὶ ταυτησὶ, scribe, καὶ τὸ ταυτησὶ τῆς ἐπαινουμένης εὐνοίας; qui articulus omisissus sensum abstulit. Ita Græci loquuntur, τὸ τῆς εὐνοίας pro εὐνοια. Euparius ipse in Oribasio: καὶ ἦν αὐτῷ τὸ τῆς λεγομένης συμφορᾶς, εὐδαιμονίας ἀπάσης πρόφασις. Rursus hæc; μετ' ὀλιγωρίας τ' πρὸς ἡμῖν πλεονεκτημάτων, perperam & nullo sensu conjuncta sunt. Quin post nomen ὀλιγωρίας, punctum, vel certe virgula apponi debet, tum quæ fugerunt, voces retrahendæ, Πρὸς τὰ τῶν παρ' ἡμῖν πλεονεκτημάτων. Etenim comparatio: præ iis quæ nos tibi addere possumus. Sic planus efficitur locus.